

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XIV.

DE XVI. CAPITE
GENESEOS:

de qua

SUB PRÆSIDIO SALO-
MONIS GESNERI S. S. THEOLOGIAE
Doctoris & Professoris in Academia VVi-
tebergensi ad Calend. Novemb: Anno
Christi 1598. DEO IUVAN-
TE respondebit

M. MARTINUS HILVIGIUS
Bolesl; Sil,



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.
M. D. XC VIII,



Viris multum Reverendis

DN. POLYCARPO LYSERO, S. S. Theolo-
giae Doctore primario, & inclytæ Aulae Dres-
densis Concionatori dignissimo, fidissimo:

Et

DN. M. DAVIDI MEYSIO, Illustrissimo
Electo Saxonici ADMINISTRATORI
à Concionibus;

*Mæcenatibus suis ac fautoribus magnis, debita
reverentiæ & gratitudinis ergo,
Theses hæcæ Biblicas
dicat*

M. MARTINUS HILVIGIUS
Respondens,

De capite XVI. Geneseos.

Thesis I.



Crupulum de adoptivo hærede Abrahamo divinitus eximi, disputatione proxima cognovimus. Hic jam alius à carne infigitur. Credit enim Abraham se vterinum habiturum filium bonorum & promissionis de Messia hæredem, sicuti Dominus pollicitus fuerat, sed quæstio jam, è qua illum vxore suscepturus sit.

II.

Occasio hæsitacionis ab initio significatur. Sarai enim vxor illius, cum sterilis esset, jamq; ea ætate, quæ ad partum haud idonea, non peperit ei.

Quæstio prima de desiderio prolis.

III.

Quòd desiderium prolis, quo Patriarchæ piæq; illorum conjuges flagrant, toties commemoratur, haudquaquam libidinis, sed ardentissimæ fidei & spei in venturum Messiana defixæ argumentum est. Ioh. 8. 56. Rom. 4. 17. Et proinde nec indigna sanctis Dei hominibus hæc narratio, ut Manichæi & Monachi, nec ridicula, ut Iulianus & Epicuræi impie censent, æstimanda est 1. Cor. 1. 21.

IV.

Sarai proinde suæ sterilitatis & effætæ ætatis probè sibi conscia è suggestione carnis in eas cogitationes descendit, non se, sed aliam promissi hæredis fore matrem.

V.

Quædam enim Dei promissa non ilicò plana & omnibus sui partibus clara sunt, indies autem magis magisq; enitescunt. Ita oraculum de Semine hætenus matrem nondum indicaverat, licet de patre constaret, postea cap. 17. 19. Sara Messiæ mater designabitur.

VI.

Ac cum ancillam haberet, Hagar, Ægyptiam, quæ suam proculdubio pietatem, fidem, modestiam probe hætenus testatam fecerat, illam mavult marito copulari, quam aliam.

Questio II. de dygamia Abraha.

Rabinorum commentum est Hagarenis & Mahumetanis applaudens, Hagarem filiam fuisse Pharaonis. Donata forte inter alia, de quibus supra cap. 12. sed serua non libera fuit.

VIII.

Rationes consilij de danda marito vxore altera erant istae, 1. quod se noverat sterilem, 2. quod credebat ex Abrahamo nasciturum filium spiritualium & corporalium bonorum haeredem, Ecclesiaeq; Episcopum & doctrinae tutorem, 3. quod deniq; polygamiam Dei indultu usitatam non ignorabat.

IX.

Quod autem Hagarem ancillam, non liberam, & insuper Aegyptiam non è Semi nepotibus ortam deligit, causae videntur ejusmodi 1. quod ejus mores perspecti 2. ut sibi jure domini vendicaret sobolem, quam è propria ancilla esset habitura, 3. quod promissionem de benedicto illo semine omnibus gentibus communem esse didicerat Gen. 12, 3. 4. quod deniq; obaedientem & modestam, non superbam & adversam sperabat.

X.

His adducta Sarai rationibus maritum sic alloquitur: Ecce conclusit, seu prohibuit me Dominus, ne parerem: Eia ingredi ad ancillam meam Hagar, si forte aedificet ex ea.

Questio tertia, quid sentiendum de instituto Sarai.

XI.

Laudem meretur Sarai fides de promisso Semine, patientia in ferenda steriliratis ignominia, humilitas quod domina ancillae vxorem titulum, & honorem, torumq; conjugalem non invidet, sed ultrò cedit: modestia, quod marito non imperiosè mandat, sed rogando suadet. Meritò proinde Petrus in ejus vitam, tanquam in clarissimum speculum, feminas intueri vult 1. Pet. 3. 6.

XII.

Non Diabolum, non naturam, non veneficia incusat, sed à Deo se conclusam & parere prohibitam piè agnoscit. A Deo enim crux pijs imponitur Job. 1. 21. 1. Sam. 1.

13. Prolem

XIII.

Prolem itidem non aliunde quàm à Domino dari fate-
tur, Psal. 127. 113.

XIV.

Et prudentiæ raræ est, quòd sobolem, licet adoptivam ex-
petit non alium in finem, quàm ut ædificetur. Hac enim voce
non modo œconomix conservationem, sed etiam politiæ &
Ecclesiæ structuram incrementumq; complectitur, quod o-
mnibus pijs conjugib⁹ curæ esse debet, cum hic sit finis matri-
monij principalis Gen. 2. & 9. Eph. 2. 1. Tim. 5. 14. Tob. 8.

XV.

Ac si Sarai pietatis exercitium *τακνογονία* impediri, vel
sanctimoniam Patriarchæ conjugali consuetudine inquinari
statueret, ut Pontificij cœlibatus impuri tutores, nequaquam
profectò alteras marito nuptias suaderet 1. Tim. 4. Eb. 13.

XVI.

Quam quidem veritatis sententiam adeo veneratur Au-
gustinus, ut sanctissimi Iohannis Baptistæ cœlibatū Abrahami
nuptijs anteferre non audeat, sed utrumq; non impari conti-
nentiæ merito celebret, & utrumq; pro temporum distribu-
tione Christo militasse concludat, Augustin: de bono con-
jugio cap. 21.

XVII.

Quemadmodum autem hæc virtutes meritò prædica-
mus: ita infirmitatis humanæ in castissima matrona reliquiæ
minimè dissimulari debent.

XVIII.

Fides enim illius, licet sua in substantia vera minimèq;
hypocritica, fervens item & nequaquam tepida fuerit, in ea
nihilominus circumstantia claudicavit, quod medium à Deo
non mandatum humano consilio quæsit.

XIX.

Neq; tamen interim contra conscientiam delinquit, sed
errore humano peccatum ignorantix committit, 1. Ioh. 5. quo
Spiritus sanctus non eiicitur, fides non abijcitur Rom: 12. 1.
Matth. 11.

XX.

Ne igitur existimemus, justiciam nostram coram Deo

A 3

fidei

fidei magnitudine & non mera Dei gratia & imputatione meriti Christi constare. Deus enim fidem instar grani sinapis non abiicit Luc. 17. & calamus quassatum minimè confringit Esaj. 42. Matth. 12.

XXI.

Humana ratio in divinis mysterijs percipiendis plane caeca est, quod in sapientissima hac muliere discimus, 1. Cor. 2. Ad suam enim illa sterilitatem & senectam tanquam ad scopulum impingit, quo minus statuat, se eodem jure Seminis desiderati fore matrem, quo maritum credebat patrem: nec perspicit, Deo rem nullius esse negotij, sterilem uterum aperire & foecundum efficere Ps. 113.

XXII.

Hoc proinde lapsu moniti rationis nostrae iudicio & philosophicis principijs in spiritualibus non obtemperemus, sed illa sub obædientiam fidei redigamus, 2. Cor. 10. 1. Cor. 2. 4. Col. 2. 8.

XXIII.

Citraq; Dei mandatum humana præcipitantia nihil attemptemus, sed Dei jussa in silentio & in spe præstolemus Esai. 30. 15.

XXIV.

Et consilia carnis eventum sortiri minimè speratum non modo ex hac historia mox cognoscemus, sed ex eo quoq; animadvertimus, quod ex Hagar adeo non ædificata est fidei ium respublica (quod tamen unicum Sarai in votis habuit) ut ab Hagarenis & Saracenis miserimè devastata sit, hodieq; devastetur, Ps. 82.

Questio quarta, quod Abrahamus uxori obediuit.

XXV.

Hæc de consilio Sarai, jam quid ad illud Abrahamus, videndum est. Obædivit ille voci vxoris suæ. Tacitè hæc oratio innuit, Abrahamum non ilicò in vxoris institutum consensisse. Etsi enim mariti vxores suas diligere Eph. 5. bene quoq; monentes libenter audire debent Prov. 14. Eccl. 7. 1. Sam. 25. Gen. 21. in excubijs tamen esse perpetuis oportet, ne vel

ne vel ipsæ à Satana & carne decipiantur, vel ipsi ab illis
in errorem pertrahantur, Genes. 3. 1. Reg. 11. Mich. 7.
Matth. 10. 35.

XXVI.

Multum autem differt hoc Abrahami obsequium ab illo
Adami Gen. 3. quod ille Dei legem severissimè inculcatam
amori conjugis postposuit: Hic autem polygamiam à Deo
tolerari animadvertit.

XXVII.

Consentienti proinde marito Sarai ancillam suam Æ-
gyptiam, Hagar, tradit, minimè, ut pellicem, sed in vxorem.
Hoc quoq; præter officium, quòd vxor viro mulierem jun-
git, cum viri potius sit vxorem quærere,

Questio IV. de Concubinato patrum.

XXVIII.

Hagar Abrahami vxor est, celi cap. Gen. 25. Philegesch
id est, concubina nominatur, ut Cethura. Non enim sancto-
rum patrum concubinæ ejus erant vel conditionis vel inge-
nij, cujus sunt impura clericorum in Papatu scorta, sed vxo-
res legitima copula junctæ, ita honestate matribus familias
non impares, æconomicæ verò gubernationis & hæreditatis
titulo inferiores. Gen. 35.

Questio V. de Coniugali consuetudine.

XXIX.

Coniugalem consuetudinem Moses modestissimè nomi-
nat ingressum ad Hagar: Paulus non minus temperanter
ὄφθαλμῶν ἐννοίᾳ debitam benevolentiam nuncupat, & neu-
trum conjugum sui corporis, sed alterum alterius ἐξουσίᾳ
potestatem habere scribit 1. Cor. 7.

XXX.

Cumq; Spiritus Sanctus per Paulum præcipiat, ut vir
mulieri & mulier viro ἐννοίᾳ conjugalem præstet, neq; cor-
pus suum alteri subtrahat, ex eo intelligitur, quàm iniqua sit
Hieronimi sententia, qui ait: Connubia legitima carent
quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conju-
gales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur,
etiam si

etiamsi Propheta esse videatur, qui officio generationis fungitur. Decret: part, 2. causa 32. quæst. 2. cap. 3.

XXXI.

Æquior Augustini censura, qui licet non absq; peccato id fieri statuat, (multæ enim profecto sunt maritales ineptias secundû Lutherum in 26. Gen: & ἀταξία ἢ ἀκρασία. 1. Cor. 7.) vitio tamen hominum, non culpa nuptiarum evenire, & venialem habere culpam, (qua nimirum Spiritus Sanctus non eijcitur,) concludit, libro de bono conjug. cap. 4.

XXXII.

Et iterum capite II. ejusdem libri: Decus conjugale est castitas procreandi & reddendi carnalis debiti fides.

XXXIII.

Omniùm rectissimè Paphnutius in Nicena Synodo honorabiles asseruit nuptias Ebr. 13. & castitatem esse dixit cum propria vxore concubitum. Decret. p. 1. dist. 31. c. 12.

XXXIV.

Castitas enim à Deo præcepta non opponitur conjugali consuetudini, ut Monachi arbitrantur, sed vagis libidinibus extra matrimonium,

XXXV.

Cum interim scriptura conjugum conjunctionem vocet divinam, Matth. 19. ἀμικτόν & τίμιον Ebr. 13. ἀγιασμόν sanctificationem & σωφροσύνην temperantiam 1. Tim. 2. mysterium Eph. 5.

XXXVI.

Et Lombardus Pauli sententiam 1. Cor. 7. probè affectus est, cum scriberet: Ante lapsum conjugium tantum fuit officium, nunc verò est quoq; remedium.

XXXVII.

Notæ enim sunt Spiritus Sancti voces: Eccles. 9. 9. perfructuere vita cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ istius instabilis, Prov. 5. 18. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. 1. Cor. 7. Non defraudet alter alterum: iterum conuenite ἐπὶ τὸ αὐτό, ne diabolus vos tentet propter incontinentiam vestram.

Questio V I. utrum quis polygamiam & concubinatum Patrum debeat imitari.

38. Cæterum



XXXVIII.

Cæterum quod Abrahamus duas conjuges simul habet, id sive indultu Dei fiat, sive communi illorum temporum errore, in exemplum trahi minimè debet. Obstat Christi mandatum & primæ institutionis autoritas. A principio enim non erat sic: Sed Dominus dixit: erunt duo in carnem unam. Matth. 19.

XXXIX.

Quod ipsum etiam Paulus polygamix obvertit, cum ait, propter fornicationem quilibet suam ipsius uxorem habeat, & quælibet proprium virum habeat, 1. Cor. 7. Vide Augustin: de bono conjug: cap.

XL.

Multò verò minus pellicatus & concubinatus hinc stabiliri potest: sed valet illud Augustini, Concubinas habere christianis nunquam licuit, nunquam licebit, Serm: 143. de tempore.

XLI.

Nam ut κοίτη conjugalis torus & concubitus est ἀμίσωτος Ebr. 13. ita Christiani ἐν κοίταις pellicum & Concubinarum inveniri non debent, Rom. 13. Scortatores enim & adulteros judicabit Deus: Ebr. 13. & Christi membra non sunt facienda membra scorti 1. Cor. 16. Et quilibet scire debet vas suum possidere in sanctificatione & honore, non ἐν πάθει ἐπιθυμίας, sicut gentes, apud quas scortari non erat flagitium, 1. Thess. 4.

Questio VII. de anno nuptiarum cum Hagar.

XLII.

Matrimonium cum Hagar initum fuisse anno decimo peregrinationis Abrahami in terra Canaan tradit Moses, haud equidem eam ob causam, quam Rabini somniant, quod hic fuerit terminus intra quem maritus experiri debuerit, utrum de uxore prolem habere posset, an verò ob sterilitatem aliam ducere sibi liceret, Lyr.

XLIII.

Sed partim ut ἡγεμονολογία constaret, partim ut sciremus

B

Abra-

Abrahami & Saræ fidem accepta promissione Seminis Gen. 12. multo tempore quasi in gymnasio ἀκνίασ exercitatum fuisse. Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt Rom. 15.

Questio V III. quid sentiendum de ancilla facta.

XLIV.

Quo etiam istud pertinet, quod ancilla sit gravida, cum dominæ uterus sit conclusus, ut Sari discat, Deum in bonis corporalibus distribuendis personarum respectum non habere, Matt. 5. Eccles. 9. & 10. v. 7.

XLV.

Et hoc quidem est pessimum, secundum Ecclesiasten, e. 9. inter omnia, quæ sub sole sunt, quod eadem cunctis eveniunt: unde & corda filiorum hominum implentur malitia. Nam & Agar cum se concepisse animadverteret, insolenter & superbe heram suam præ se contemnere incepit.

XLVI.

Difficilius igitur est res adversas, sed periculosius secundas pati, 2. Sam, 12. proverb, 30.

XLVII.

Et Agar ostendit verissimum esse, quod prov: 29 scriptum est, qui delicate nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. Syrac. 33. 26.

XLVIII.

Neq; novum est, ut summa beneficia malefactis compensentur, quod Christus in Iuda expertus est. Ioh. 13. Mat. 10.

XLIX.

Et fuit ea res typus ecclesiæ omnium temporum: diabolus enim in id sedulo semper incumbit, ut humana prudentia & philosophia supra divinam sapientiam & theologiam sese efferat, quæ tamen contenta esse debebat, quod ancillæ loco digna haberetur, 1. Cor. 1. Col. 2.

L.

Falsaq; quoq; & hypocritica ecclesia Antichristi & Synagogæ Iudaicæ populo Dei imperitare, & titulum Spontæ Christi sibi falso venditare consuevit Gal. 3. Eph. 5.

51. Hinc

L I.

Hinc rixæ & jurgia inter sanctissimos conjuges oriuntur. Tria enim sunt, per quæ terra commovetur, & quartum non potest sustinere. Per servum cum regnaverit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta, & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. Prov. 30.

Quæstio I X. de jurgio piorum conjugum.

L II.

Sarai namq; in isto paroxismo hisce maritum compellat: Injuria afficior propter te, postquam ego tradidi ancillam meam in sinum tuum, illa animadvertens, se prægnantem esse, contemnit me habet in oculis suis: Iudicet Dominus integre me & te.

L III.

Nullum igitur tam est tranquillum, etiam inter sanctos, conjugium, quin Asmodeus aliquando rixas & jurgia conciet, quæ non sunt postrema pars crucis, qua pij conjuges in fiducia & spe exercentur: Gen. 3. Gen. 21. & 30. Job. 2. Tob. 2. Exod. 4. & 13.

L IV.

Quemadmodum autem ejusmodi sribusculum, (ut Vlpianus appellat,) non dissolvit conjugalem copulam, neq; amorem extinguit: Ita spirituale nostrum cum Christo conjugium non dirimitur, fœdusq; in baptismo initum non rescinditur, licet nos variè sæpe delinquamus, modo non accedat obstinata in sceleribus contra conscientiam perseverantia 2. Cor. 11. 2. Tim. 2. 12. Esa. 50. Quid enim jucundius illa voce Dei: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reverte ad me, dicit Dominus. Jer. 3.

L V.

Quo quidem nihil validius ad erigendas pavidas mentes adversus absolutum reprobationis decretum. Siquidem Deus disertè dicit: Vbi est libellus repudij, quem ego quidem (absoluto videlicet consilio & odio) dederim matri vestræ? Ecce propter delicta vestra venditi estis, & mater vestra propter iniquitates relicta est, Esa. 50. 1.

LVI.

Concitatō proinde vel à diabolo, vel etiam à propriæ carnis malitia, aut à calumniatoribus Syr. 28. contentionibus mariti memores præcepti Paulini Col. 3. non sint *πικροί* erga suas vxores neq; exhibeant se leones in domo sua, Syr. 4. Alioquin etiam viros non decet, ut qualibet injuria se ad iram concitari sinant. Eph. 4.

LVII.

Quod suo exemplo Abrahamus docet, qui *κατὰ γυνώσιν* cohabitavit vxori, honorem exhibens infirmiori vasculo muliebri 1. Pet. 3.

LVIII.

Proq; sua singulari prudentia silentio præterit verba illa profectò dura & conjugali amore indigna, quod vxor dixerat: Iudicet Dominus inter me & te. Hic enim iniusticiæ Patriarcham accusat, quo nullum majus scelus inter conjuges, qui vna caro, vna mens esse debent Matth. 19.

LIX.

Et à marito insuper ad Dei tribunal provocat, Deiq; vindictam contra proprium virum, imò si rem rectè æstimes, in suam perniciem invocat, causam siquidem iniquam habet.

LX.

Quæ omnia arguunt sanctas quoq; matronas aliquando ab affectibus superari Gen. 30. & quemlibet suo in negotio non seipsum solum audire, sed alios consulere debere.

LXI.

Sed cum in communi vita multæ amicorum injuriæ sine dissimulandæ, Patriarcha quoq; surdis eam auribus præterit, memor illius, quod Salomon scribit: sicut volucris prætervolat & hirundo subitò transit, ita diræ imprecationes, quando quis illas non est promeritus, minimè hærent: Prov. 26.

Questio X. de animadversione Sara in ancillam.

LXII.

Itaq; non modo non acerbè Saram objurgat, culpam ancilaris

ancillaris superbiæ in ipsam retorquens, quod jure optimo poterat, sed ancillam quoq; ejus arbitrio & castigationi committit: Ecce ancilla tua in manu tua est, fac, quod bonum videtur in oculis tuis. Memor enim illius est, quod stultum non deceant delitiæ, nec servum dominari principibus, Prov. 19.

LXIII.

Et illius, quod materfamilias ancillis præesse, & honestam disciplinam rei; familiaris administrationem, non minus, quàm maritus, custodire debeat: Tit. 2. 5. Prov. 31.

LXIV.

Sarai proinde ancillam ob superbiam increpat & ad humilitatem debitamq; obædientiam, ut par erat, cohortatur. Neq; enim verisimile est Saram ulla pœna corporea gravidam coërcuisse: nisi œconomicos labores, quibus jam delueverat, mandatos illi fuisse statuamus. Et verbum Ghana, licet græci κακῶσα reddiderint, plerumq; tamen humiliare & paternè castigare denotat. Ps. 102. 24. 119. 75.

LXV.

Modum tamen Sara excessisse videtur, cum Deus ipse infra, se Ghoni afflictionem ejus exaudivisse testetur, vers: 11.

Questio XI. de fuga & varijs delictis Hagaris.

LXVI.

Procul autem abest hæc mulier à vera pietate & humilitate, qua instigante cum Plalmoda dicere debebat: corripiat me iustus in misericordia & castiget me, id tam salubre & iucundum erit capiti meo, quam balsamus: Ps. 141. & cum Salomone: Meliora sunt vulnera amantis, quàm fraudulenta oscula oforis Prov. 27.

LXVII.

Sed illa sic est animata, ut Salomon ait: Impius proteraciter obfirmat vultum suum: Proverb: 21. 29. Tantum itaq; abest, ut animum suum tumidum frangat & demittat, ut potius disciplinæ jugum excutere conetur: Fuga sibi proinde consultum fore putat.

B 3

62. Imò

LXVIII.

Imò ejus est ingenij, quo præditi sunt, qui religionis prætextu licentiam quærunt, & cum ob sua peccata ex verbo Dei increpantur, occinunt illud Ps. 2. dirumpamus vincula eorum & projiciamus à nobis jugum ipsorum.

LXIX.

Gratam se Deo & Saræ exhibere debebat pro communitata luce agnitionis veri Dei, ad quam è tenebris Ægyptiacæ idolomania adducta fuerat, verùm illa posthabito cultu & Religione properat in Ægyptum ad patrias superstitiones, iuxta proverbium: canis redit ad vomitum, sus lota ad lutabrum. 2. Pet. 2, Prov. 29.

LXX.

Desertum enim Sur, quo loco Angelus illam alloquitur, pars est Arabiae petreae, Ægyptum attingens, ubi Ismaelitæ postea habitarunt. Gen. 25, 18. Exod. 15, 22, 1. Sam. 15, 7. 1. Sam. 27, 8.

LXXI.

Quin etiam maliciosæ desertionis & divortij attentati scelus, in hac fuga inest, cum Dominus præceperit, mulierem à viro non separari 1. Cor. 7. 10. Matth. 5, 32. & 19, 9.

LXXII.

Fidem itaq; Deo, ecclesiae, marito, dominae datam violat & insuper in subducenda sobole, quæ non ipsius, sed Abrahami & Saræ erat, plagium committit.

LXXIII.

Taceo, quibus interim curis sanctissimi conjuges tantum non exanimati fuerint, quibus animo infederat, tatum, quem fugitiva gerebat, promissum esse hæredem.

LXXIV.

Et sanè merita fuisset, in quam Dominus juxta Salomonis sententiam animadvertisset, qua dicit: Qui mentis est duræ corruet in malum Proverb. 23. 14. Qui corripientem dura cervice contemnit, ei repentinus superveniet interitus, Proverb. 29, 1. Qui enim diligit disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationes, insipiens est. Prov. 12. 1.

Quæstio



*Questio XII. de angelo, qui Ha-
gari apparuit.*

LXXV.

Sed quia Dominus longanimis est, & non vult mor-
tem peccatoris, sed potius conversionem: Idcirco ipse Dei
filius Hagarem sicut ovem errantem quærit & in viam redu-
cit. Luc. 15.

LXXVI.

Nam angelus Domini, vel potius angelus Dominus
(potest enim utroq; modo exponi Malach Iehovah) qui cum
fugitiva loquitur, alius non est quàm Christus ipse.

LXXVII.

Quodd enim ait, Ego multiplicabo semen tuum, quodq;
Moses ipsi nomen Iehovæ tribuit, cum ait, & vocavit no-
men Iehovæ, qui cum ipsa locutus fuerat, verſ: 13. ex eo e-
vincitur, non creatum hunc esse angelum sed angelorum
Dominum. Exod: 23. 1. Cor. 10. Iud: 13. Hilar: 1. 4.
de Trinit.

LXXVIII.

Heræ quidem conspectum effugerat, sed Dei præsen-
tiæ subducere sese minimè potest: Ps. 139. Dominus enim il-
lam in deserto invenit.

*Questio XIII. quid sibi velit
percontatio angeli.*

LXXIX.

Neq; ignorantis est, quod interrogat, unde venis, &
quo vadis? Quod enim rem omnem perspectum habeat ex
eo liquet, quod & nomen ipsius significat & conditionem ex-
primit, Agar, inquam, ancilla Sarai.

LXXX.

Et conditionis quidem mentione illam humilitatis ad-
monet. Alioquin Abrahami conjugem nominare potuisset.

81. Sciscita-

LXXXI.

Sciscitatur autem, ut ingenuam delicti confessionem eliciat, simulq; hac oratione, unde venis, & quo vadis? ostendit, quantum bonum amiserit, & ad quæ mala properet. Exprobrat enim quod commercium veræ Ecclesiæ deleverit, & ad idololatrias redire constituerit.

LXXXII.

Nam sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum; prov. 27. 8. Et pij Deo confidere suoque loco manere, nec condiciones sive ecclesiasticas sive politicas sive œconomicas lucri, honoris, dignitatis gratia proprio ausu absq; legitima vocatione mutare debent Syr. 11. 22.

LXXXIII.

Sed gravius est Apostasiæ crimen, de quo Salomon, Homo apostata vir est inutilis Prov. 6. 12. Cum Apostasiæ initium & origo sit fastus & superbia, & hæc vicissim illius, Syracide contestante: Syr. 10. 15. & quàm horrenda illis pæna decreta sit, videre licet Ebr. 6. & 10. 2. Pet. 2. 1. Ioh. 2.

LXXXIV.

Ac licet hanc legis concionem Dominus paucissimis exprimat, ex effectu tamen apparet, quòd interno motu cor ipsius percusserit. Sicut de Davide scriptura loquitur: Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus 2. Sam. 24. 10.

LXXXV.

Conscientia enim domesticum tribunal est, juxta Nazianzenum, & peccatum ad fores dormit Gen. 4. & cum nequitia sit timida, dat testimonium condemnationi Sap. 17. 11.

Questio XIV. utrum Hagar penitentiam egerit.

LXXXVI.

Delictum itaq; suum absq; dissimulatione fatetur: A facie, inquit, Sarai dominæ meæ ego fugio. Cum dominam suam agnoscit, necesse est, ut imperium se ejus & jus domini fuga petulanter & improbè excussisse fateatur.

LXXXVII.

Si enim Sarai tua est domina, cur eam fugis, cur obædientiam

entiam denegas. Si fugis & imperium ferre renuis, cur dominam appellas?

LXXXVIII.

An nescis quod servorum & ancillarum sit, ut obtemperent dominis suis cum metu & tremore, in simplicitate cordis sui, tanquam Domino Eph. 6. 5. neq; tantum bonis & mansuetis, sed etiam *σκολιῶς* 1. Pet: 2.

LXXXIX.

Angelus proinde, qui est Iehova *καρδιογνώσκης*, cum animadverteret illam à propria conscientia convictam, jamq; etiam difficultate & periculo itineris aliquot dies probe exercitam, non objurgat pluribus: sed viam illi ostendit, qua sanctorum conscientiae mederi & eo, unde lapsa fuerat, redire possit.

XC.

Revertere, inquit, ad dominam tuam: quo mandato non modo reditum ad familiam Abraham, sed potissimum ad domesticam Ecclesiam regressum præcipit.

Questio XV. quid sentiendum de eo quod Agar redire ad heram suam jubetur.

XC I.

Exire à consortio Ecclesiae Agar suis viribus potuit, redire non potest, nisi divinitus vocetur & trahatur, Luc. 15. Ioh. 6.

XC II.

Nemo proinde congregationem & societatem verae Ecclesiae deserat Ebr. 10. 25. Extra quam nulla est Dei agnitio, invocatio, fides, justitia, salus. Eph. 2. 19. 1. Tim: 3. 15. Act. 20. 28. Eph. 4. 5.

XC III.

Ac cum angelus magni consilij eam, quæ ab Ecclesia ad gentilem superstitionem properabat, ipse retrahat & reverti jubeat, vanus itaq; Catharorum & Novatianorum error, qui post baptismum lapsis veniam denegant, reditumq; ad Ecclesiam intercludunt. Nam Christus venit servare quod perierat Matth. 18. 11.

C

94. Dignum

ob tuo , auctoritate in XCIV. signi in ratione maiore

Dignum contra christiana fide & charitate opus est errantem reducere, ut Petro Christus injungit: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos, Luc: 22. Et Iacobus cap. 5. graviter illud nobis commendat: Fratres si quis vestrum aberraverit a veritate & aliquis ipsum reduxerit, ille sciat, quod qui convertit peccatorem ex errore viae suae, servaverit animam a morte.

XCIV. signi in ratione maiore

In primis autem fidelibus verbi ministris hoc incumbit, ut possint moderatè illorum commiseratione affici, qui in ignorantia versantur & aberrarunt; cum & ipsi infirmitate undiq; sint stipati, Ebr. 5.

XCVI.

Neq; in magnatibus saltem ab errore & lapsu revocandis opera impendenda est, sed etiam in vilissimae conditionis hominibus, sicut ancillam fugitivam angelus, Onesimum servum itidem fugitivum Paulus restituit: Philem.

XCVII.

Angelus porrò cum reditu obaedienciam & humilitatem conjungit: Revertere, inquit, ad dominam tuam & humiliare sub manu illius. Superbis enim Dominus resistit, humilibus dat gratiam 1. Pet. 5.

XCVIII.

Et ancillas è nutu dominarum suarum pendere, oculosq; ad illarum manus intendere oportet Ps. 123.

*Quaestio XVI. quomodo accipienda
Agarenorum fecunditas &
multitudo.*

XCIX.

Cumq; pietas promissionem hujus & aeternae vitae habeat, 1. Tim: 6. ideo beneficiorum pollicitationem adijcit: Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur praè multitudine.

100. Atq;

C.

Atq; hinc opinor est, quod Nicephorus de hac gente scribit, περι πολλῶν ἐστὶν ἡ τεκνογονία σαῶν κινῶν: sobolis procreatio magni aestimatur a Sarracenis. Niceph. lib. ii. cap. 47.

C I.

Nonne Deus impietate, blasphemis, crudelitate Agarenorum & Ismaelitarum, de qua Pl. 22. 1. Par: 5. & alibi, nec non æterno ipsorum interitu quodammodo delectari videtur, quod innumerabilem gentis istius multitudinem pollicetur, cum denegata impiæ sobolis propagatione tot mala impediri potuerint, de quibus quotidie ingemiscit Ecclesia?

C II.

Mala quidem impediri potuissent, sed multa quoque bona præcisa fuissent. Nam ex hoc etiam populo, licet barbaro, Deus aliquos subinde ad veri Dei agnitionem perduxit. Sicut Davidis tempore Iether Amasæ pater Ismaelita fuit, 1. Par: 2. 17. Cui Abigail Davidis soror in matrimonium data haud fuisset, nisi verum Israël Deum coluisset.

C III.

Et post Christum tandem exhibitum tempore Valentis Imp. circa annum Domini 368. Mania illorum regina & Zacomo præcipuo principe baptisatis religionem christianam amplexi sunt, Mosen nati Episcopum. Sozomen: lib: 6. cap. 39. Nicephor: lib. ii. cap. 46. & 47. Et sævientibus in ecclesiam tyrannis Anachoritarum hospitium fuit Ismaelitarum terra. Hieron:

C IV.

Et si autem postea iterum defecerunt, & longissimo tempore latrocinis in Ecclesiam sunt grassati, donec tandem Turcæ, id est, Gog & Magog eos domuerunt, dubium tamen non est aliquos illorum quandoque converti, & cum tempus illud appulerit, de quo Ezechiel & Iohannes vaticinati sunt, multos fidei nostræ accessuros: Ezech: 39. Apoc: 20.

C V.

Interim Deus crudelitate illorum non aliter quam Pharaonis & Babylonici regis olim sævitia ad coercendum populum suum utitur, Es. 10. 5. 6. 7. &c.

C 2

106. Impietate



CVI.

Impietate verò eorundem & reliquis sceleribus tam non delectatur, ut ea gravissimè detestetur & internecone tandem vindicaturus sit Ezech. 38. & 39.

CVII.

Sicut etiam non aliquo absoluto consilio & decreto tantam multitudinem æternæ damnationi adjudicavit, & majorem filiorum carnis, quam electorum turbam, declarandæ suæ justitiæ gratia condere constituit.

CVIII.

Vanissimum etiam est, quod Ismaëlita hoc nomine superbiunt, & Ismaelem Isaaco in Alcorani mandacissimis nugis præferunt, seq: ex mero fastu pro Hagarenis Saracenos, quasi è Sara originem ducerent, vocitare minimè erubescunt. Sozom: lib. 6, cap. 38.

CIX.

Paulus autem & Christus disertè ostendunt, non eos qui secundum carnem ex Abrahamo sunt, sed qui fidem Abrahamæ sequuntur, esse filios illius Gal. 3. Ioh. 8.

CX.

Pollicitationi jam auditæ Dominus futurorum præsciis subjungit; masculum illam parituram. Qui enim ille ignoraret, qui membra singulorum in utero format? pl. 139. Iob. 10.

CXI.

Et ipse paternam nostri curam gerit antequam in lucem edamur pl. 22. Eph. 1.

CXII.

Nomen filio vult imponi Ismaëlis à præsentè historia; sic enim angelus ad illam: Quia Dominus audivit afflictionem tuam, Ismaël enim à Deo exauditum significat.

Questio XVII. quomodo Deus afflictionem fugitivæ & perfidæ ancillæ exaudivisse dicatur.

113. Af-

CXIII.
Afflictio seu humiliatio imprimis de vera pœnitentia, quam in vasta solitudine inedia & siti, corporisq; insuper lassitudine, quam alia procul dubio periculosa symptomata gravidis familiaria comitata sunt, jam macerata didicerat, intelligi debet: licet eadem verba id quoq; inuuant, Saram non nihil iracundius ancillam tractasse.

CXIV.

Quod autem vel ipsa abortum experta, vel fœtus in utero suffocatus, inq; vitam miraculosè restitutus fuerit, ut Rabini fingunt, credibile non est. Licet ex eo, quod fontem postea puteum videntis & viventis nuncupat eam extra vitæ periculum non fuisse constet.

CXV.

Fugam certè nimis petulanter & superbe institutam hac voce Spiritus Sanctus minimè dignatur, cum tot in ea insint scelera, ut supra indicatum est.

CXVI.

Nam peccatores, quam diu in nequitia sua perseverant, Deus nequaquam exaudit Ioh. 9. 31. Ioh. 4. 23. 1. Tim. 2. 8.

Questio XVIII. de Ismaëlis ingenio.

CXVII.

De moribus deniq; filij prænunciat, quòd futurus sit homo feras, & quod manus ejus adversus omnes & omnium manus contra illum, quodq; ex adverso omnium fratrum suorum fixurus sit tabernaculum.

CXVIII.

Ferum nominat à civili societate, legibus & institutis abhorrentem, feras persequentem, & Nomadum more divagantem, quod infra cap. 21. declarabitur.

CXIX.

Onkelus hebræam vocem Pherah, quæ cum latina feras convenit, per onagram expressit, denotans, quod Ismaël instar bestię in sylvis sit grassaturus.

CXX.

Cæteris audacia, violentia, nec non latrocinia Ismaëli-

tarum describuntur, quæ quidem semper illis usitata fuisse sacrae & prophanae historiae testantur.

CXXI.

Quamvis Onkelana paraphrasis ita reddiderit: Ipse indigebit omnibus, & omnes filij hominum indigebunt eo, & è regione omnium fratrum suorum morabitur.

Quaestio XIX. de fonte viventis

& videntis.

CXXII.

Hactenus de colloquio Dei cum ancilla: Restat, ut cognoscamus, quale monumentum accepti beneficii constituerit. Propter posteritatem enim rerum memorabilium signa collocare æquissimum est.

CXXIII.

Fonti proinde nomen indit, ut deinceps vocetur fons viventis, videntis me, Onkelano est fons, in quo apparuit angelus vitae.

CXXIV.

Dicebat enim. Certe hic vidi eum, qui me postea aspexit. Quæ verba aliter ab alijs exponuntur. Græci enim reddunt: Hic coram aspexi intuentem me. Onkelus, Ecce ego cæpi videre, postquam apparuit mihi: Hieronymus: profecto hic vidi posteriora videntis me.

CXXV.

Omnès istæ sententiæ illud innuunt, Hagaren duo beneficia Dei grato animo perpendisse, unum quod Dominus fugitivam ancillam tam clementer aspicere & ab errore revocare dignatus sit, alterum, quod se quoq; Ipsum miseræ mulieri in assumpta forma conspiciendum exhibuerit.

CXXVI.

Fons ille inter Cades & Barad situs est, ubi postea Isaac Rebeccam sponsam suam excepit Gen. 24. 63, & à Domino post obitum patris benedictionem consecutus est Gen: 25. 11. & Hieronymus annotat, adhuc suo tempore puteum Agar nuncupatum fuisse.

CXXVII.

Procul dubio autem nomen hoc putei illos sanctos homines de scaturigine verbi cælestis admonuit psal. 36. & 42. Ioh. 4.

Quaestio



Questio ultima de reditu & partu Agar.

CXXVIII.

Redeuntem ancillam Abram & Sarai non averfantur, ut Cathari & Novatiani lapsis veniam denegarunt, asserentes, μετὰ τὸ λῆτση μὴκέτι δάνασαι ἐλεῖσαι τὴν πεπτωκότα.

CXXIX.

Christus autem non septies solummodo sed septuagies septies, id est, quoties usu venerit, fratris lapsum in gratiam vult recipi Matth. 13. & Paulus eos, qui lapsu aliquo præoccupati sunt, à spiritualibus in integrum restitui omni cum mansuetudine, & quemlibet attendere, ne & ipse cadat, præcipit Gal. 6.

CXXX.

Peperit deniq; Agar filium, ut divinæ promissioni eventus responderet,

CXXXI.

Non autem sibi illum sed Abræ peperit, tum quod vxor, tum quod ancilla, Liberi enim è servis & ancillis geniti dominorum erant, Exod. 21, 4.

CXXXII.

Idcirco Abram illi nomen imponit, tanquam pater & dominus, Et nominat Ismaëlem, ut ostendat, se non minus, quam matrem, Deum pro infante invocasse, Id enim parentes decet: Gen. 25. Simulq; indicat quam spem de hoc filio conceperit, qua tamen frustratus est.

CXXXIII.

Erat is annus ætatis Abrahæ octuagesimus sextus, Vbi diligentia sacri hujus scriptoris in chronologia texenda notari debet. Cum enim in Chanaan venisset Abrahamus annos habebat septuaginta quinque Gen: 12. 4. Porro anno decimo peregrinationis suæ ducit Agarem Gen: 16. 3. His si addatur annus vnus, sunt LXXXVI.

CXXXIV.

Neq; chronologiæ saltem causa hæc annotantur, sed etiam, ut inde liceat patientiam Abrahæ æstimare, qua sobolem promissam annos jam undecim expectavit, & porro etiam tredecim alios annos filium ex Sara sperat, Rom. 4.

FINIS.

Quis dicitur in libro Genese

CXXVII

Et dicitur in libro Genese...
in Capitulo...
Et dicitur in libro Genese...

CXXVIII

Christus dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXIX

Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXX

Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXXI

Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXXII

Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXXIII

Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXXIV

Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...
Et dicitur in libro Genese...

CXXXV



AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







B.I.G.

Farbkarte #13

ATIO BIBLICA XIV.

VI. CAPITE NESEOS:

de qua

ÆSIDIO SALO-
SNERI S. S. THEOLOGIA
Professoris in Academia VVi-
ad Calend. Novemb: Anno
1598. DEO JUVAN-
TE respondebit

TINUS HILVIGIUS
Bolesl; Sil,



WITEBERGÆ,
M. Georgij Mulleri.
M. D. XCVIII,

